Jahres-Bericht

über das

Königliche Gymnasium zu Düsseldorf,

für das Schuljahr 1864–65,

mit welchem

zu den öffentlichen Prüfungen am 28. und 29. August

und

zu der Schlußfeier am 30. August

einladet

der Director des Gymnasiums

Dr. Karl Kiesel.

Hierbei eine Abhandlung des Herrn Oberlehrers Wilhelm Marcowitz
de Aeschyli Prometheo.

Düsseldorf, 1865.
Gedruckt in der Stahl'schen Buchdruckerei, Grabenstraße.

De Aeschyli Prometheo.

Data hac ad scribendum occasione quum de re disserere mihi proposuissem, quae et omnium difficillima esse videtur neque omnibus partibus posse absolvi, non ignorabam fore, ut in varias reprehensiones incurrerem. Erunt enim profecto, qui quum de Aeschyli Prometheo scribere nonnulla instituissem, „periculosae plenum opus aleae“ me tractare dicant, neque „versavisse diu, quid ferre recusent, quid valeant humeri.“ Nam quum veteres ipsi alii aliam in Aeschyli Prometheo vim ac sententiam inesse credidissent, quumque inter ipsos, qui de hac fabula iudicare potuissent, magna fuisset illis temporibus dissentio, ut veterum ipsorum interpretatio illius tragoediae falsa utique esse videretur vel aliqua ex parte manca et inchoata: ne nostra quidem memoria, praesertim quum omnia fere adiumenta deessent, quibus adhibendis vera invenirentur et a falsis dignoscerentur, plane quemquam intelligere posse, quid sibi velit poeta, quo tendat eius fabula. Nec vero deerunt praeterea, qui me inepte atque adeo arroganter fecisse non negent, quod rem omnibus numeris iam absolutam ac perfectam recoluissem. Nam quum tot viri insignes atque imprimis Schoemannus, vir clarissimus, licet omnibus, quibus rem suam illustrarent adminiculis ex antiquitate petitis orbati essent, sua sola eruditione et doctrina litterarumque graecarum scientia illam Aeschyli tragoediam ita essent interpretati, ut non amplius quidquam desiderari possit: prorsus inutile videri et supervacaneum, si quis vellet in eadem re operam suam et laborem collocare. Quibus ego omnibus respondendum paucis ita esse arbitror. Ac primum quidem de re dubia et incerta agitur neque omnibus partibus perspicua et dilucida. Quae res quum in illustranda grandissima illa omnium fabularum versetur, non solum quas Aeschylus, verum etiam quas tota antiquitas invenit et excoluit, poeta autem ipse, quid in descriptione partium actionisque ordine spectaverit, plane et aperte nullo loco indicaverit, non potest non fieri, quin quicunque explanandae illi fabulae sententiaeque perscrutandae operam dederint, ii suas plerumque opiniones acerrime tueantur et certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati etiam ea, quae maximam partem non probare soleant, constantiae saepe causa defendere cogantur. Eiusmodi autem iudicia, quamvis sint veri similia, quum suo quisque ingenio obsequatur neque habeat, unde eruat argumenta, quibus suam rem explanet, non ab omnibus comprobatum iri, nemo negabit. Tum vero illorum virorum laudem ac merita ita non propositum est imminuere, ut opera et studio eorum atque imprimis Schoemanni tandem aliquando factum esse vehementer gaudeam, ut tenebris, in quibus tamdiu res iacebat, fugatis clariorem lucem et largiorem illi rei allatam nunc adspicere nobis contigerit. Atque nonnulla sunt, quae quidem ad cognoscendam perspiciendamque rei ipsius summam non admodum pertineant, sed accuratioris interpretationis indigere videantur, quo facilius, quod fuerit poetae consilium, quae voluntas intelligatur. Videantur sane quibusdam levissima, quae hoc loco in utramque partem disputabuntur, quod singulari aliorum eruditione et doctrina omnia iam exposita sint et explicata, restant tamen singulae res, quae in dubitationem aliqua ex parte vocari possint, et meo mihi iure uti videor, quum de illis rebus, quae minus recte et diligenter illustratae vi-

deantur, disserere coner. Itaque quoniam non omnes omnia accipiunt et probant, quae a viris quamvis doctis de re qualibet proferuntur vel prolata sunt, mihi quoque liceat, quid de sententia ac potestate Promethei Aeschylei sentiam, sicut aequum est timide et sine ira et studio dicere.

In Prometheo fabula tyrannum crudelem, detestabilem summoque omnium odio dignum Jovem a poeta descriptum esse multi iam fuerunt, qui dicerent, neque deerunt postea, qui illi de hac fabula sententiae virorum doctissimorum suam adscribant. Ac profecto quid crudelius, quid immanius poterant videre Aeschyli spectatores, quam Jovem, deorum hominumque patrem et rerum universarum gubernatorem, a deo sibi cognato ac propinquo iniustas et quodam modo sempiternas poenas expetere? Atqui Prometheus optime erat de Jove meritus. Nam Saturno etiam tum regnante quum dubitarent Titanes haesitarentque, utrum huic regnum integrum relinquerent, an omni illum exucrent potestate, sua prudentia factum esse Prometheus gloriatur, [1]) ut deorum mundique imperium ad Jovem deferretur. Huic autem eius benevolentiae animique fortitudini, qua in imperio occupando Jovem adiuverat, tantum abest, ut is iustam et debitam mercedem tribuat, ut beneficiorum immemor Prometheum afficiat supplicio, quo gravius quidquam excogitari vix possit. Quid in his rebus non atrox? Quid non abominando tyranno dignissimum? Eiusmodi fortasse cogitationibus ductos iam pridem Aeschyli interpretes fuisse non mirabimur, qui quod intelligere se posse negarent, cur Aeschylus, a quo deos sanctissime ac religiosissime cultos esse inter omnes constaret, talem fingeret Jovem, qualem spectatores perhorrescerent, id ipsum poetam tragicum in componenda tragoedia Prometheo spectavisse contenderent, ut in Jovis persona imaginem cuiusdam tyranni exprimeret atque hac ipsa ratione tyrannidem quam invidiosissimam redderet civibus suis. [2]) Quae Promethei explanandi ratio quantum a veritate aberret, vix est quod moneam. Quid enim? Illis quidem temporibus quum ex omnibus bellis, quae cum Persis gesserant, superiores discessissent Athenienses, nec iam rex Persarum ipse, quem unum hostem potentissimum infestissimumque libertatis adversarium antea timuerant, illis esset timendus, non erat causa, quare poeta summo civium odio subiiceret tyrannidem vel tyrannum aliquem, qui omnino aut nusquam illis temporibus erat, aut minime periculosus Atheniensibus, qui ex tot bellis et dimicationibus victores evaserant. Itaque perversa illa ratio, qua dixisse nonnulla poetam finxerunt, quae ille ne cogitatione quidem amplecti potuerit, recte iam diu refutata est, et hac sola re valere videtur, quod inde intelligitur, quam lubricam incultamque viam viri quidam nonnunquam ingressi sint, quum vel rerum scriptoris vel poetae sententiam ad intelligendum difficilem interpretaturi suas saepe cogitationes scriptori vel poetae supponere cogantur.

Iam vero repudiatis his et talibus ineptiis Aeschylum quum et a veteribus traditum accipiamus religiosissimum fuisse poetam et qui deos populares pie casteque coleret, et omnes, qui non mediocriter in legendis eius tragoediis versati sunt, summa erga deos pietate eum fuisse facile fateantur: non supervacaneum hoc loco esse videtur quaerere, qui fieri potuerit, ut in Prometheo fabula Jupiter longe alius appareat, atque in reliquis eiusdem poetae effingitur. Considerantes enim locos illos praeclarissimos, quibus Jupiter summis laudibus celebratur, [3]) paene adducimur, ut cautum prudentemque poetam in tragoedia, de qua diximus, exornanda parum sibi constitisse credamus et a recta ratione et via, quam plerumque inierat, pessimo quasi quodam exemplo ductum aberravisse. Itaque quum in reliquis tragoediis ita Jupiter depingatur, ut summa iustitia et optimis legibus, quas ipse invenisse nonnunquam dicitur, res divinas humanasque administret et regat, quumque illis virtutibus omnibus ornatus esse videatur, quibus illius aetatis homines summum suum deum praeditum esse voluerint: non sine causa quaeramus, necesse esse videtur, utrum revera Aeschylus Jovem crudelem ac superbum tyrannum neglectis multitudinis opinionibus finxerit, an quum talem Jovis imaginem adumbret, qualis est in Pro-

---

[1]) Prom. 199 sqq. [2]) Schuetz. Excurs. V. [3]) Suppl. 524 sqq. 671 sqq. 816. Choeph. 244. al.

metheo fabula versibus expressa, certum consilium secutus sit nobis quidem occultum, sed quod illis hominibus notum esse et apertum facile potuerit. Atque hic equidem unum illud contendere ausus sim in errore versari illos, qui Aeschylum quum quae more et consuetudine iam diu recepta essent, ea sua ratione immutaret, inconsiderate fecisse dicant; nam poeta qualis erat Aeschylus, neque temere agit neque inconsulte. Quod quo facilius intelligatur, rem paullo fusius copiosiusque exponi necesse erit.

Ante omnia autem memoria tenendum esse mihi videtur Aeschylum illis temporibus vixisse et carmina sua condidisse, quibus splendor patriae et gloria in dies augeretur. Hostis ille potentissimus ac formidolosus, qui ferro ignique opulentissimas urbes graecas vastaverat et incendio deleverat atque adeo Athenas, lumen totius Graeciae, extinxerat, qui perniciem libertati Graecorum atque interitum infesto animo erat molitus, victus superatusque compluribus proeliis fuga flagitiosa petierat salutem. Depulso igitur omnium maximo periculo incredibile dictu est, quantum Graecorum animi et maxime Atheniensium ad studium amoremque libertatis incitati et inflammati sint, quippe quam suo sanguine ab hoste magnopere timendo defendissent. Atque illud libertatis studium quantum fuerit illis temporibus, quantique aestimatum sit ab Atheniensibus, ex omnibus artificum, rerum scriptorum maximeque poetarum operibus facillime cognoscitur. Neque mirum, quod poeta praeclarus, qui quantum in ipso erat, gravissimis illis dimicationibus, quas Athenienses potissimum ad patriae libertatem servandam subierant, et ipse compluribus interfuerat, quia mores illius aetatis et ingenia optime noscebat ea, quae infixa hominum animis singulos divino quodam ardore incendebant, in tragoediis exprimere versibus studuit et spectatoribus quasi ante oculos ponere. Haec est causa, cur in operibus suis a summa gravitate profectus delectetur poeta depingendis immanibus et quasi giganteis moribus ingeniisque personarum, quae ex se ipsis tantum aptae suisque viribus confisae vel deorum voluntati et legibus maxima audacia resistere easque insolenter impugnare audeant. Haec est causa, quare quos in fabulis describit homines ii sint, qui maioribus, quam natura humana ferre posse videatur, cupiditatibus incitati iura divina et humana, quae sancte colenda ipsis essent, violenter inflectant, qui nimia fiducia sui insitaeque virtutis conscientia elati quasi scientes deorum poenas suscipere velint. Videmus igitur Aeschylum in fabulis componendis hanc sibi scribendi legem statuisse et hanc rationem personarum fingendarum secutum esse, ut ex partibus, quas in singulis tragoediis singulae personae agebant, ex earum ingeniis discerent spectatores omnium fere bonorum summum videri animi libertatem, quam divinis legibus tantum modo obnoxiam nemo unquam sibi eripi aut imminui patiatur. Eam autem animi libertatem quum quis sibi servare contumaciter studeat, accidit saepenumero, ut temeritate sua et insolentia vehementer offendat illas leges, quae ab omni aeternitate latae ut immutabiles sunt et firmae, ita iustae et sapientes videntur, quibus ad omnium salutem tuendam ipsi dii obedire seseque subiicere videantur, quaeque non sine maximo detrimento gubernationis mundi mutari possint, nisi ex sua cuiusque opinione. Qui igitur ea mente est, is perturbat et pervertit, quantum in se est, obstinato animo divinum illum rerum ordinem, in quo salus omnium posita est, quoque omnia reguntur et gubernantur.

Atque eadem fere ratio est eius fabulae Aeschyleae, quae inscribitur Prometheus. Hic quoque videmus eum, qui primas agit, nimio libertatis studio ductum admodum vehementem et non mediocriter effrenata illa ferocia et contumacia superbientem, quae inerat in terrigenarum illorum gigantum genere,[1]) et ad virium suarum fiduciam erectum ne summis quidem necessitatis ac fati legibus se libenter subiicere,[2]) sed potius illarum praesidio insolentius se efferentem licentia Jovis ipsius, summi dei imperio obsistere et repugnare. Quodsi omnino poetam dedecet res externa quadam necessitate effectas

[1]) Prom. 205 sqq, 347 sqq. [2]) v. 309. 399. 907. 937. 952 usq. ad fin.

et temporis complexione potius quam causarum serie cohaerentes facere et, quum philosophiae muneri, ut ait Aristoteles,[1]) quam historiae propior sit poeta, hoc agere debet, ut omnes fabulae actionisque partes apte inter se congruant et totum quiddam efficiant: multo etiam magis hoc dedecebat Aeschylum, qui qua erat adversus deos pietate ea, quae vel ipse in carminibus suis fingit vel ut tradita narrat, ita inter se colligat, ut ad vim aliquam coelestem, quae res aequitate potius ac iustitia, quam suo arbitratu et malignitate regat, accomodata esse videantur. Hanc autem vim coelestem, quae rerum ordinis causa et effectrix est, cuius auctoritate Jupiter Titanibus ad inferos detrusis mundi moderationem nanciscitur et quasi fungitur eius vice, Prometheus detrectando illius imperium contemnit et graviter laedit. Quamobrem ne altera quidem explicandi Promethei ratio ab omnibus partibus probanda esse videtur, qua ut summa solvatur difficultas, Aeschylum dicunt in tragoediis duos agnovisse Joves inter se dissimillimos. Unum esse illum, quem communi fama traditum et vulgi opinione moreque receptum Graeci religiosissime colerent: alterum significare divinam naturam, quem tanquam mundi creatorem et gubernatorem philosophi maxime in disputationibus de philosophia Jovis nomine appellarent. Quibus igitur locis summi numinis iustitiam, sapientiam, sanctitatem Jovis nomine praedicaret Aeschylus, his eum significari voluisse alterum, in Prometheo autem fabula illum Jovem depictum esse, qui impiis ac saepe ridiculis poetarum fabulis vulgo describeretur, natura hominum simillimus atque omnibus animi perturbationibus libidinibusque obnoxius. Quod tali deo obtemperare noluerit Prometheus, id admodum leve esse. Quam quorumdam virorum opinionem falsam esse neque ullo modo probabilem Schoemannus, vir doctissimus, iam pridem tam manifesto et evidenter demonstravit, ut rationes viri eruditissimi et argumenta vix possint a quoquam refelli. Quid vero praeterea de poeta statuendum erat, qui populo placere vellet et carminibus suis spectatores delectare, non praeceptis solum erudire atque instituere, aut quum hoc unum facere cogitaret, si occultae cuiusdam et abstrusae sapientiae praecepta proposuisset, quae nemo nisi qui initiatus iis esset intelligere et mente percipere posset? Licet igitur, quicunque Promethei fabulam aut antea invenerunt aut postea suis sententiis exornaverunt, non temere, quod negare equidem minime potuerim, sed prudenter rem effecerint: tamen Aeschylus, etiamsi de via iam usitata declinare non dubitaret, quum in carminibus fundendis poetam, non philosophum se ostendere vellet, debebat etiam in fabulis tradendis poeta, non doctrinae cuiusdam philosophorum magister ac praeceptor apparere. Ergo fateamur necesse erit prudentem poetam ita rem suam instituere debuisse, ut iam ex iis, quae praemittebantur, spectatores cognoscerent omnia prospere successura Jovemque ipsum expositis rebus omnibus quam celerrime in summo honore et dignitate futurum. Id consecutum esse poetam copulatione illa trium fabularum, quam graeco verbo dicunt trilogiam, iam multis ante annis viri litterarum graecarum peritissimi rationibus docere conati sunt. Quod enim in vincto Prometheo nihilo minus Jupiter deus appareat maxime detestabilis, ut hominis iracundi et implacabilis et tyranni superbi similior sit, quam summi dei, poeta autem talem Jovem exhibendo, qualis esse a plerisque non crederetur, spectatorem animos necessario laederet, certam causam fuisse illi oportere, qua cognita suspicionem se impie et sceleste fecisse et religiones deosque quasi scientem odio et contemtioni tradidisse sine ulla difficultate a se removeret. Atque eam poetae excusationem et impietatis absolutionem invenies, aiunt, in tertia fabula eiusdem generis, in soluto Prometheo, quae non solum artissime coniuncta fuerat et connexa cum vincto Prometheo, sed etiam ita composita et perfecta, ut facile omnes viderent vinctum Prometheum tanquam fundamentum iactum fuisse, in quo poeta magnificum suum aedificium exstrueret. Quae sententia quum soluti Promethei fabulam iniquitate temporum deperditam nobis esse vehementer doleamus, quamquam certis ac firmis rationibus probari non potest, tamen ita non est spernenda, ut diligentius exquirenda esse videatur. Utcunque res se habet, iam ex ipso vincto Prometheo satis multa

[1]) Poet. cap. 9.

argumenta erui possunt, quibus utrumque et poetam suspicione impietatis, et Jovem crudelitatis crimine exsolvendum esse demonstrari potest. Sed res paullo accuratioris disputationis videtur indigere.

Aeschylus, qua erat animi gravitate, aeque ac paullo post Sophocles in diis inesse volebat ante omnia benignitatem et iustitiam, clementiam et sanctitatem eosque omnino omnibus exornatos esse virtutibus, quibus quidquid in mundo esset, superarent. Atque illi dii, qui iam inde ab ultima fere hominum aetate traditi videbantur obscura fama et in Graecia vulgo colebantur, illis virtutibus maximam partem carebant. Quamvis homines illius aetatis multum a pristina supertitione et feritate recessissent et, quum longius progressa esset eruditio, multo melius de diis eorumque religionibus sentire coepissent, tamen etiam tum adeo pravae ac perversae de rebus divinis notiones hominum animis infixae et vetustatis sanctitate commendatae erant, ut apud eruditiores homines plurimum offensionis haberent. In quorum numero Aeschylus haud dubie habendus est. Tales igitur deos tot pravitatis maculis adspersos, quarum illi auctores nonnumquam habebantur, Aeschylo saepissime displicuisse non mirabimur, praesertim quum humanitate et eruditione suis hominibus longe praestaret et idcirco meliores ac puriores de diis notiones mente informavisset. Quodsi fabulis quidem plerumque, quas communi fama a maioribus et maxime a poetis traditas acceperat in carminibus utebatur, nihilo minus interdum fiebat, ut quae in illis fabulis indigniora videbantur deorum maiestate et dignitate, ea suo ingenio immutaret immutataque in suum usum converteret. Id autem eum, ut imbecillitati incultioris multitudinis parceretur, animi honestate ductum fecisse putandum est. Immutatio igitur fabularum plerumque amplificatio quasi quaedam earum erat et emendatio. At enim Promethei fabulae ratio longe alia videtur. Nam in ea non modo Aeschylus refellendis iis, quae iam diu de diis eorumque religionibus turpiter commenta erant, hominum animos excolere et ad humanitatem informare non studet, sed congerit etiam in Jovem contumelias et opprobria, quibus, quantum potest, auctoritatem eius et honorem imminuit, et Prometheus, qui magis nimio hominum amore, quam scelerato animo peccavit, crudeliter plectitur. Videtur sane res ita se habere, sed re diligentius explorata facilis erit poetae excusatio.

Ac primum quidem, quum hoc sibi Aeschylus proposuisse videatur, ut neminem plecti ostenderet, nisi qui esset in culpa, sine ulla controversia affirmari potest ne Jovem quidem insolentem illum deum habendum esse, qui nulla neque personarum neque rerum gestarum ratione habita puniendo probos improbos, sontes insontes mirifice delectetur. Quodsi ubique apud poetam is qui sceleris alicuius culpa tenetur, temeritatis et inconsiderantiae poenam sustinet, in Prometheo tragoedia non idem factum esse credi vix potest. Ideoque ne Prometheum quidem non sine aliquo merito suo puniri putandum est; sed ut maximum scelus et inexpiabiles fere fraudes concepit, ita ultimo afficiatur supplicio necesse est: *δράσαντι παθεῖν* (Choeph. 313.), *ἄξια δράσας ἄξια πάσχων* (Agamn. 1527.). Quod autem et quale facinus commiserit Prometheus, nunc perscrutandum est.

Jupiter Titanibus remotis quum ad regnum accederet et ipse mundi rerumque universarum moderationem suscepturus esset, in terra invenit genus hominum brutis bestiis, ut aiunt, similius quam diis, etsi eodem loco, quo dii homines orti erant. Infirmi, imbecilli, expertes omnium adiumentorum, quibus usi quasi e tenebris, in quibus etiam tum iacebant, in lucem virtutum revocari aliqua ratione possent, omni denique morborum genere et molestiarum vexati metuque fatalis necessitatis cruciati [1]) vitam miserrimam pecudum ritu in speluncis et silvarum faucibus abditi degebant. [2]) Ex miserabili illa immanique vitae conditione, qua a principio erant, quoniam emergere homines nequaquam posse videbantur, neque ad veri investigationem inventionemque, neque ad cognitionem dignitatis naturae humanae et virtutum adduci, inutile illud hominum genus, qui intelligentia et ratione omnino carere viderentur, Jupiter regno accepto statim extinguere et e rerum natura exterminare constituerat, ut illo deleto

---

1) Prom. v. 248. 2) 452 sqq.

simul memoria pristinorum deorum, qui paullo ante mundi moderatores fuerant, obliteraretur. [1]) Atque huic consilio hominum genus delendi, ut novi iique meliores homines et ad intelligentiam aptiores crearentur, ut cum novo genere quasi novus quidam ordo et in terra et in universa rerum natura exsisteret et ubique quod bonum, quod pulchrum, quod verum esset coleretur, praeter Prometheum obstiterat deorum nemo. Is enim homines ab interitu vindicavit. Quod qua ratione effecerit, ex ipso quidem poeta non cognoscitur, sed aliter ac precibus eum illud a Jove impetravisse credendum non est, nam vi et violentia ille quidem Jovem numquam impulisset, ut homines sibi invisos ille in terra amplius habitare incolumesque esse sineret. Quoniam vero in atroci certamine, in quod, ut regno potiretur, Jupiter cum Titanibus descenderat, Promethei potissimum opera et prudentibus consiliis adversarios feroces non sine magna contentione superaverat, se illi, quem in summo rerum discrimine amicum sapientem fidelemque socium expertus esset, depulso periculo gratum praebere volebat et beneficii accepti et meritorum eius memorem. Precibus igitur motus non vi coactus Jupiter hominibus pepercerat. Servati igitur erant et mors in praesens propulsata ab iis, quum autem omnibus carerent rebus, quibus sese tutari possent et defendere a periculis, quae morborum multitudine et incommodorum et omni genere malorum extrinsecus imminebant, ne vivere quidem diu potuissent, neque aliud quidquam iis parcendo concessisset Jupiter, nisi breve quoddam temporis spatium, quo progrediente ipsi paullatim ad interitum ruituri essent. Tum demum vetere extincto novum illud hominum genus erat proditurum. Atque prudentes Jovis rationes perfringebat Prometheus. Rapto enim igne datoque hominibus omnes eos docebat artes, quibus mederi morbis, omnia mala removere et hac ratione vitam non modo sustentare, sed pulchriorem hilarioremque reddere possent. [2]) Hoc autem loco silentio praetereundum non est viros quosdam in errore versari mihi videri, qui Prometheum nihil docuisse homines dicant nisi artes perniciosas et exitiabiles, quibus cognitis violentiores evaderent inter se et deorum contemptores. Ipse autem poeta in tragoedia plane demonstrat homines ita a Prometheo esse institutos, ut discerent quae grata diis essent sacrificia, quae ingrata, [3]) et quemadmodum coli ab hominibus et honorari dii vellent. Qua re satis mihi videtur comprobatum esse igne tradito et usu eius cognito artibusque excultis, quas docuerat Prometheus, illos non admodum sceleratos statim his rebus factos esse et impios, quod si ita fuisset nihil eos res divinas curaturos fuisse arbitror. Namque homines a Prometheo institutos et informatos fuisse eodem erga Jovem animo, quo Prometheus esset h. e. exacerbato et infenso, „ut non amantes Jovem, non venerantes cum pietate, sed abhorrentes potius aut formidantes metu servili ad eum tanquam malevolum bonisque hominum invidentem adirent, cuius asperitatem et saevitiam anxie precibus et sacrificiis placare conarentur," id mihi non videtur nisi in coniectura positum esse, quum ab initio Prometheus amicus esset Jovi, neque ex ipsa tragoedia quidquam possit proferri, quo quidem illa res firmetur. Neque minor mihi videtur ille error, in quem inciderunt viri quidam eruditissimi et illi quidem propter subtilem antiquitatis scientiam plurimi faciendi. Prometheum enim significare volunt quasi exemplum quoddam naturae humanae et in eius persona poetam symbolice, ut ita dicam, depingere voluisse, quanta morum asperitate immanitateque, quanta contumacia atque effrenata pertinacia, denique quam indomitis animi cupiditatibus prisci illi homines fuissent, qui suis viribus temere confisi contra leges naturae cum diis ipsis certamen inire non dubitavissent. [4]) Quo mihi nihil magis ab ea sententia abhorrere videtur, quam poeta volebat exprimere. Prometheus enim, qui primas in tragoedia agit, non est homo vel exemplum quoddam hominis aut generis humani, sed deus, [5]) et talis quum sit, cum altero deo certat, a quo ius suum violatum et laesum esse existimet. Inferior quidem discedit ex illo certamine, quod suas vires suamque sapientiam pluris aestimat et iracundia et

[1]) Prom. 547 sqq. [2]) Prom. 482 sqq. [3]) Prom. 493 sqq. [4]) Droysen Prometh. pag. 210. Doellinger Heidenth. u. Judenth. p. 270. [5]) Prom. 92. 119.

animi temeritate obcaecatus se Jove superiorem fieri posse arbitratur. Itaque, ut dicam, quid sentiam, in Prometheo fabula si quis dixerit veteres deos cum novis, ergo quasi veterem aetatem certare cum nova, neque dissimilem esse huius fabulae rationem atque Eumenidum, in qua tragoedia Apollo et Minerva tanquam novi dii pro Orestis salute cum Eumenidibus, quae veterum deorum partibus funguntur, propugnent, non longe eum aberrare a veritate contenderim et argumentum et sententiam fabulae, de qua dicimus, haud male exponere.

Cum illa rerum expositione alia res videtur coniungenda esse. Nam quum poeta in Prometheo tragoedia fingenda ea fere omnia, quae de deorum hominumque origine iam communi fama tradita erant, mente et cogitatione teneat, neque ita de ea re sentiat, ut postea aliis sane rationibus ducti Plato [1]) et alii iudicant, Jupiter ei non est rerum et hominum creator. Illum igitur, quum ad mundi moderationem accessisset non hereditate illam quidem relictam, sed post atrocem diuturnamque pugnam cum infestis adversariis acceptam, a poeta describi memorem magni laboris et virium contentionis, quibus opus fuerit ad imperium adipiscendum, idque omnibus viribus contra quoslibet adversarios obtinere conantem facile est ad intelligendum. Est igitur ut in novo regno novus dominus non semper mitis et benignus, sed nonnumquam durus et asper.[2]) Atque in adversariorum numero postea sine ulla dubitatione habendus erat Prometheus, qui et propter parem atque adeo multis rebus maiorem intelligentiam et propter cognationem, quae ei eum prioribus diis erat, magno detrimento et perniciei Jovi esse poterat. Nihilo tamen minus rem ita instituit Aeschylus, ut Jovem, quum victoriam ab adversariis reportavisset, pepercisse Prometheo et clementem et benevolum se illi praebuisse cognoscamus. Queritur quidem Prometheus vehementer, sibi soli, licet in affectando imperio opem tulisset Jovi, nullos tributos esse honores, [3]) sed quum poena afficitur gravi odio summi dei commotus animo irato et percito loquitur. Quin etiam ne ob raptum quidem ignem Jupiter poenas ab eo sumpsisse videtur, quod Oceanus, qui fuerat in igne rapiendo socius Promethei consiliorum et adiutor, poena omnino non tenebatur, sed incolumis demissus erat. [4]) Itaque non propter hanc unam rem, quod ignem furatus erat, Prometheus poena afficitur, sed quod auctor fuerat, ut homines comperto ignis usu una cum artibus varia remedia paullatim cognoscerent, quae ad depellendos corporis morbos adhiberent, quo factum est, ut breve temporis spatium, quod deprecante Prometheo Jupiter generi humano concesserat, vel invito Jove longius producere posse viderentur. Quoniam autem non uno eodemque tempore sed paullatim homines variis artibus institutos fuisse manifestum est, et Prometheus progrediente tempore eos instituit docuitque, cum per omne illud tempus, quo ad erudiendos homines opus fuerat, incolumem et impunitum fuisse negari nullo modo potest. Justa igitur a Jove patitur, quod quominus novum hominum genus crearetur, fraude mala, quantum poterat, impediverat. Poena quidem, quae subeunda est Prometheo, magna est et singularis et quae a saevissimo aliquo homine in acerrimum hostem de industria excogita videatur; sed qui supplicio afficitur deus est, non homo, qui primo quoque malorum impetu succubuisset fortunae suae. Quemadmodum autem ingens erat facinus, quod quum dolose ac fraudulenter Jovem decepisse videretur, Prometheus commiserat, ita ingens esse debebat supplicium. Est autem mos Aeschyli, ut considerate et data opera culpam culpa augere et cumulare soleat, quo fit, ut qui sontes describantur, ii ab scelere quasi ad aliud spectent scelus. Quoniam autem, quo maior fit culpa, eo maior fiat necesse est dolor, quo quis vexatur, si quid iniuste aut impie commiserit, item in Prometheo ab illa consuetudine ita non recedere poetam videmus, ut Promethei dolores, quibus cruciatur, mirum in modum amplificet doloribus et augeat. Nam Prometheus tantum abest, ut se graviter peccavisse intelligat seseque culpae affinem esse confiteatur aut summo mundi gubernatori, cui quod potentia atque auctoritate omnes antecedit, omnes obedire et parere debeant, si non submisso animo se subiiciat, at ἑκὼν ἀέκοντί

[1]) Plat. Protag. p. 320 D. [2]) Prom. 35. 96 sqq. al. loc. [3]) Prom. 240. [4]) 330 sqq.

γε θυμῷ cedat, ut multo etiam obstinatior pervicaciorque factus vel contumeliis utatur in Jovem ipsum, quem minis conviciisque insectari non dubitet.[1]) Ut igitur scelus addit sceleri, ita dolores eius i. e. poena actionis progressu magis magisque crescunt, ut in extrema tragoedia Prometheo ad inferos praecipitato haec poena fere aeterna facta esse spectatoribus videatur. Talem autem Promethei fabulae exitum illis probari non potuisse, quis est, quin intelligat? Videbant enim illum poenas sempiternas daturum esse, qui quamquam graviter deliquerat, magis tamen nimio amore generis humani deliquisse videbatur, quam animi pravitate, et sperabant fore, ut Prometheus, quem quodam modo propter magnum illum hominum amorem diligere coeperant, poena graviore liberaretur. Videbant praeterea Jovem, quem summa cum pietate Graeci et maxime Athenienses venerabantur, non modo auctoritate et honore foedissime privari, sed animi perturbationibus, quibus maiores fere nullae sunt, iracundia, violentia crudelitateque vehementer incitari. Quodsi Athenis vivo etiam tum Aeschylo Anaxagoram impietatis accusatum capitisque damnatum esse accepimus, neque eum vitae discrimen evasurum fuisse, nisi fuga petisset salutem: multo etiam magis Athenienses ira arsuros fuisse putandum est in Aeschylum, neque excusationem futuram poetae, si quidem quum Jovis imaginem tam foedam tamque detestabilem versibus exprimeret, neque rationes neque causas proposuisset, quibus percipere possent spectatores, religiones a poeta non modo laesas non esse, sed etiam res, quae in Prometheo fabula tractarentur, bonum optabilemque eventum habituras esse. Neque illud praetermiserat poeta, sed summa arte ac peritia illi rei providerat. Indicat enim in ipsa fabula non uno loco[2]) dirimendum esse certamen, quod inter Jovem et Prometheum exarserat, ut quum alter in gratiam redisset cum altero, et Jupiter solveretur insimulatione crudelitatis et iracundiae, et Prometheus superbiae pervicaciaeque crimine liberaretur, spectatorum animi facile placarentur. Atque eam rei rationem poeta in soluto Prometheo inisse dicitur. Huius autem tragodiae quoniam fere nihil aut admodum pauca relicta sunt, ex quibus colligi aliqua ex parte possit, quae fuerit illius fabulae sententia, liceat quae eius rei ratio fuisse mihi quidem videatur, quamtum coniectura assequi poterimus, paucis explicare.

In vincto Prometheo paullo ante diximus rem causamque singularum tragoediarum Aeschyli eo maxime contineri, quod praeter illum, qui culpam aliquam sustineat, nemo poenam det vel doloribus afficiatur. Necesse est igitur Prometheum, qui confectus esse videatur quam maximis doloribus, in culpa fuisse. Hanc autem culpam in eo potissimum positam esse contendimus, quod invito Jove superbia atque insolentia impulsus homines, quos ille paullatim interire voluerit et extingui, dato igne variisque artibus praeceptis docuerit, quemadmodum maxime morbis medendo imminentem fatis mortem procul amovere possent. At ne Jupiter quidem ipse caret culpa. Accepto enim imperio ut novus dominus ita utitur itaque se gerit, ut leges illas aeternas, quibus iam inde a primo rerum initio ordo mundi continebatur, prorsus ignorare videatur et novis quasi legibus imperare.[3]) Oportet igitur Jovem ipsum aliqua ex parte plecti. Sed quod omnium supremus est deus, a quo omne malorum genus procul abesse debebat, ita eum facit poeta perpetientem, ut perpetuis fere sollicitudinibus afflictetur, ne temporis progressu regno ipse privetur, quemadmodum antea ex dignitatis gradu patrem praecipitaverat. Qui fieri optime possit, ut maximum illud periculum a se amoveat, compertum nondum habet, neque est quisquam, qui hoc indicet, nisi Prometheus. Is enim, providens deus, non erat nescius, quae immineret Jovi pernicies, neque eum fugerat, quid illi esset faciendum, ut quae Saturnus pater male exsecratus erat, averteret irritamque faceret fatalem sibi calamitatem. Prometheo autem rem ipsam patefecerat mater Themis, quippe quae, quum omnium rerum mater ac procreatrix omnia amplectatur, omnia perspiciat, sempiternas quoque illas rerum universarum ordinis ac moderationis leges cognitas

[1]) Prom. 310. 320 sqq. 937 sqq. 989. 1000. 1040 sqq. [2]) Prom. 168 sqq. 190 sqq. [3]) Prom. 150. 151. 403 sqq. Eumen. 778 sqq.

habeat, quibus ante rerum initia ita praescriptum iam esse videbatur, ut Jupiter per alterum ipso potentiorem regnum amitteret. Itaque Jupiter, quod non omnia providet et novit, res autem in summo versatur discrimine, Promethei auxilio eget, ut rebus cognitis, unde ipsi futurus erat interitus, fata tum denique possit flectere. Non poterat igitur cum illo in gratiam non redire. Quum autem antea sua potentia et viribus confisus Jupiter asperius tractavisset adversarium neque unquam quidquam de iure suo decessisset, poetam non decebat postea eumdem deum ita fingere, ut tanquam stolidus puer ad Prometheum adiret delicti veniam ab eo petiturus. Neque quisquam infitiabitur istam rationem multo etiam indigniorem fuisse Jovis natura ac mente, quam nimiam eius severitatem, qua in Prometheum antea animadverterat, et futurum sane fuisse, ut poetae spectatores succenserent, si mundi moderatorem ita se abiicere et prosternere vidissent, ut vel ad humiles preces se demitteret. Quamquam turpe omnino non est, si quis iniuriam intulerit homini, illum se peccavisse fateri et illud Aeschyli τὸ δ'εὖ νικάτω plurimum apud omnes valere debebat, tamen Jupiter, quem eundem atque Prometheum sed alia ratione in culpa fuisse monstravimus, non debebat victus manum dare adversario, nisi hic se culpae affinem fuisse et intellexisset et confessus esset. Aeschylus igitur suo iudicio usus rem tam prudenter instituit, ut interposito quam longissimo temporis intervallo inter ea, quae in vincto Prometheo tractantur, et ea, quae exponuntur in soluto, aptissimam adversarios placandi reconciliandique rationem invenisse videatur. Nam ex quo tempore spectatores una cum rupe, cui a Vulcano catenis alligatus fuerat, Prometheum ad inferos deiectum viderant, innumerabilia fere millia annorum effluxisse mente et cogitatione sibi fingere debebant. Tot millibus annorum praeteritis ad superos emersus denuo Prometheus dies noctesque foedissime torquetur. Sed intercedente hoc temporis spatio utriusque ira defervescere optime poterat. Ac profecto Jupiter mitior interim clementiorque factus est, quod firmius iam tenet regnum neque quisquam restat, nisi unus inimicus, isque ignotus, quem timeat, cuiusque invictam reformidet potentiam. Sed quum Aeschylum eum fuisse cognoverimus, qui singula e singulis enasci contenderit, ut omnium rerum perpetua esset et quasi sempiterna vicissitudo, πάντα ῥεῖ, et qui paullatim demum et ordinem et rationem legesque in rerum natura exstitisse crediderit: quas ille animo de diis et rebus divinis mundique moderatione informaverat notiones ad nostram rationem melioremque hanc intelligentiam revocare non debemus. Quare si sibi consentire voluerit poeta, ne Jovis quidem personam, ut opinor, ipsa auctoritate sua illis necessitatis legibus solutam exhibere poterat, quae ab omni aeternitate fluentes omnibus et singulis quamvis obscurae praescriptae essent. Ipse igitur Jupitur, quae est opinio poetae, nisi gradatim ad summa omnique genere perfecta pervenire non poterat, et longissimo tandem intervallo factum est, ut se ipse excoleret, suis adolesceret incrementis et absolutus omnibusque rebus perfectus evaderet, qualis postea vulgo colebatur ac poetarum maxime carminibus celebrabatur. Tum denique summus ille deus est, pater deorum hominumque, quem honorificis cognominibus appellabant, quemque precibus et sacrificiis publice privatimque venerabantur. Ideo progressu temporis stabilito ac confirmato regno quum Titanes veteres imperii inimicos timendos non amplius esse sentiret, vinculis solutis amicos reddit suae dominationi, ordini legibusque. Tum immanibus fere illorum viribus domitis quum summa ubique esset et pacis et otii tranquillitas, in summo iam honore haberi poterant veritas et honestas, animi sinceritas et pietas erga deos. Aeternas autem leges, in quibus rerum ordo consistit, secum quasi coniunxit Jupiter et ad earum normam mundum regit suo numine cum iustitia et sapientia.[1]) Etiam Parcarum potentia ita fracta et imminuta est, ut earum iam muneribus in administrando mundo Jupiter ipse fungi videatur.[2]) Ita nihil ipsi deest, nisi ut discat, quomodo fatalem necessitatem effugiat. Probe enim scit futurum esse quendam, qui certis conditionibus dominationem sibi possit extorquere, nam fato ita finitum esse cognovit.

---

1) Suppl. 403 sqq. 524 sqq. 2) Suppl. 672 sqq.

Neque vero Prometheus deus ille contumax ac ferox iam est, qui maximis periculis et cruciatibus se offerre et extrema animo irato pati malit, quam pertinacia desistere seque imperio subiicere potentioris. Superbia abiecta odium iniustum et inexpiabile deposuit. Liber iam animi affectionibus mentis lumine carentibus Jovis potentiam sua multo esse maiorem tandem aliquando intelligit, suam rerum cognitionem multo inferiorem atque adeo vanam et inutilem, quippe qua numquam se tormentis et cruciatibus liberaturum esse perspiciat. Mente comprehendit se quoque ad aeternam rerum legem, cuius patronus iam Jupiter extiterit et tutor, se accommodare oportere eique obtemperare. Neque amplius se decere sentit deorum hominumque patri, rerum universarum rectori, obstinatiore voluntate obtrectare: *θρασυστομεῖν γὰρ οὐ πρέπει τοὺς ἥσσονας.* (Suppl. 203.) Temporum igitur diuturnitate monitus nec minus acerbitate malorum doctus se in maximo errore versatum esse cognovit, quod nimia confidentia tam diu a Jove dissederit, et promptus et paratus iam est, si illi videatur, in gratiam cum Jove redire. Illo probante liberatus denique ab Hercule et cruciatibus vacuus aperit Jovi matre ipsa praecipiente, qui fieri optime possit, ut omne periculum et adversarium illum ignotum amoveat, qui Jove superato mundi imperio potiturus sit. Placatis animis Jupiter a Prometheo de rebus futuris certior iam factus omnique metu liberatus ac solutus, quod iam diu efficere voluerat, id ita exsequi potest, ut ex sua mente et voluntate homines novo rerum ordine instituto ad animi virtutem et probitatem morum paullatim adducantur, ut pie sancteque deos venerentur neve quidquam ab iis appetatur, praeterquam quod bonum, verum iustum pulchrumque sit. Ita mihi in exornanda Prometheo fabula illud potissimum spectavisse videtur Aeschylus, ut homines cognoscerent vitiis vacare summum bonum esse, sontes tantum et noxios pati et poenas dare, qua lege ne deus quidem exsolutus sit, neque vero quemquam ipsa fati voluntate et arbitrio poena affici. Ita enim aeternis rerum mundique legibus constitutum esse ac provisum.



Schul-Nachrichten.

I. Lehrverfassung.

1. Prima.

(Ordinarius: Director Kiesel.)

Religionslehre. a. Katholische: Glaubenslehre nach Martins Lehrbuch der katholischen Religion. 2 St. Herr Religionslehrer Krahe. b. Evangelische: Wiederholung der Kirchengeschichte, Fortsetzung der Glaubenslehre nach Hollenbergs Lehrbuch der evangelischen Religion, Brief des Apostels Paulus an die Römer. 2 St. Herr Religionslehrer Deussen.

Deutsch. Literaturgeschichte von Opitz bis auf Goethe, Lectüre aus Deycks' Auswahl von Gedichten und Aufsätzen, Lehre von Induction, Analogie, Beispiel, Definition und Eintheilung, Aufsätze. 3 St. Herr Oberlehrer Dr. Uppenkamp.

Latein. Horaz' Oden I und II, Cicero's Tusculanen I und V, privatim Sallust's Catilina und Jugurtha, Exercitien, auch metrische, Sprechübungen, Aufsätze. 8 St. Herr Oberlehrer Dr. Uppenkamp.

Griechisch. Ilias I—X, Sophokles' Oedipus auf Kolonus, Plato's Apologie, Kriton und Gorgias, privatim Herodot V und VI, Exercitien, auch metrische. 6 St. Director Kiesel.

Hebräisch. Unregelmäßiges Zeitwort, Nomen und Partikeln, das Wichtigste aus der Syntax nach Gesenius' Grammatik, Stücke aus den geschichtlichen Büchern des alten Testaments und Psalmen. 2 St. Herr Religionslehrer Krahe.

Französisch. Michaud, histoire de la troisième croisade aus der Göbel'schen Sammlung, mündliches und schriftliches Uebersetzen in das Französische. 2 St. Director Kiesel.

Geschichte und **Geographie.** Die Zeit von 1520 bis 1860 nach Pütz' Grundriß der neueren Geschichte, Wiederholungen aus der Geographie von Europa. 3 St. Director Kiesel.

Mathematik. Schwierigere Gleichungen des zweiten Grades, geometrische Progressionen, Zinseszins- und Rentenrechnung, binomischer Lehrsatz, Trigonometrie, geometrische Aufgaben nach Heis' Beispielsammlung und Meyers Lehrbuch der Geometrie. 4 St. Herr Professor Dr. Schneider.

Physik. Statik und Mechanik fester, flüssiger und gasförmiger Körper nach Trappe's Leitfaden der Physik. 2 St. Herr Professor Dr. Schneider.

Hodegetische Vorträge, mehrere Stunden am Schlusse des Schuljahres. Director Kiesel.

2. Obersecunda.

(Ordinarius: Herr Professor Grashof.)

Religionslehre. a. Katholische: Lehre von der Kirche und Geschichte der Kirche nach Martins Lehrbuch der katholischen Religion. 2 St. Herr Religionslehrer Krahe. b. Evangelische: Kirchengeschichte bis auf Karl den Großen nach Hollenbergs Lehrbuch der evangelischen Religion, Kirchenlieder. 2 St. Herr Religionslehrer Deussen.

Deutsch. Lectüre aus Deycks' Auswahl nebst biographischen Mittheilungen, kleine stilistische Uebungen in der Klasse, metrische Uebungen, Aufsätze. 2 St. Herr Oberlehrer Dr. Uppenkamp.